



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis  
Leniendae - Per Quadagesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 4. Quàm impia fuerit optimæ filiæ mater?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

sub tiliâ stantes populares adiret, numquam publicè confabulan-  
 ribus interesset, & vix vñquam ab ijs, qui in eodem vico dege-  
 bant, nisi cum vel in templum, vel in agrum procederet, conspi-  
 ceretur; tantusque erat ei taciturnitatis amor, vt eum ignoran-  
 tibus esse elinguis, aut sine voce crederetur. Maximam autem  
 temporis partem in lecto, & morbo cubabat, dolore pariter &  
 patientia plenus. Talis erat pater, quem non nisi alterum lobum  
 intuebar, aut magistrum pietatis.

IV.  
 QUAM IMPIA  
 FVERIT OPTI-  
 MAS FILIAS  
 MATER?

Mater verò mea in contrarium palmam possidebat, ita fir-  
 ma corporis valetudine, adeò validis viribus, vt ab ineunte eta-  
 te & teneris vnguiculis, nullo vñquam fuerit morbo tentata, nec  
 quidquam doloris experta sit; sed ab vtero matris vsque ad vlti-  
 mum vitæ diem semper sana robustaque extiterit. Nec forma illi  
 deerat, nisi vultus decorem fordasset morum turpitudine. Cum  
 enim pater frequentibus morbis impeditus, rebus domesticis non  
 quiret præesse, illi totius familiæ regendæ rerumque dispensanda-  
 rum permisit potestatem. Fuit autem pessima dispensatrix: adeò,  
 vt quamuis Deus magna satis nos opum abundantia donasset, ta-  
 men ea nobis non sufficeret. Nimirum quales mores, talis admi-  
 nistratio illius fuit. In primis à labore abhorrebat, vt à peste ali-  
 qua. Sæpius foris quàm domi cernebatur. In omnibus circulis,  
 conuenticulis, angulis, ac frequentissimè in medio foro suam ha-  
 bebant stationem. Supra modum curiosa & garrula indagabat &  
 vulgabat quidquid intra priuatos parietes accidisset aliorum.  
 Adeò obuios quosque compellabat, adeò prolixis, & sine caren-  
 tibus sermonibus detinebat, vt putaretur, omne corpus illius lingua  
 esse, aut certè aures ambas in linguam defluxisse. Loquacitati  
 huic accedebat impotens iracundia, & mira litigandi promptitu-  
 do. Vanissima licet esset, tamen veracior omnibus promptiorque  
 videri cupiebat. Quòd si quis illius dictis vel cum veniæ præfatio-  
 ne se opposuisset, illico erat in fermento, atque in conuicia & ri-  
 xas efferuescebat. Sed ante hæc omnia in illa turpissimum fuit,  
 quòd vltro non inuitata, non vocata, ausa sit adire viros, de  
 quibus parùm honestè homines loquebantur: immò cum illis  
 prolixè commorari; vinum bibere vsque ad ebrietatem.

Ephes. 18.

Quàm verè monuit Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est  
 luxuria*



Cap. III. Damna femina exemplo, voluptates desinere in miseris. 31

luxuria? Ut enim, teste Clemente Alexandrino, iubar est anima sicca sapientissimum, & perspicax, neque madescit vini halitu in modum nebula crassescens, unde & Heracliti dictum est: Anima sicca sapientissima, cum corporis temperiei respondeant animi mores, ut docet Galenus: ita eodem Clemente Alexandrino authore, Vinum, & carniū sagina, robur quidem adducunt corpori, sed animi res reddunt languidum. Immo, ut S. Hieronymus loquitur, Vbiūque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur; specta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Numquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dorminerit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. Ac alibi: Vinum, & adolescentia duplex est voluptatis incendium, quid oleum flamma adijcimus? quid ardenti corpusculo ignium fomenta ministramus? Hinc non tantum D. Paulus dixit ad Titum: Iuuenes hortare, ut sobrii sint; sed Plato etiam adolescentibus vsq; ad decimum octauum ætatis annum vino interdixit. Qui etiam postea ita sancit de vino: In ciuitate nec seruus, nec serua umquam vinum gustet, nec ipsi quidem magistratus, illo quo magistratum gerunt anno; neque gubernatores; neque iudices, dum munus suum exercent, vilo modo vinum gustent. Nam, ut iterum monet D. Hieronymus, alio loco, Vinolentia scurrarum est, & comessatorum, venterq; mero estuans cūo despumat in libidines, iterumque; Noë ad vniū hora ebrietatem nudat femora sua, qua per sexcentos annos sobrietate contexerat. Los per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vna vicerunt. Si hoc facit in viris vinum, in feminis quid non faciet? Hanc ob causam Sotam Clinici Labullam Martialis sic alloquitur:

Deserto sequeris Clitum marito,  
Et donas, & amas, exois dōwtos.

Hanc ob causam & memoratæ Virginis mater, postquam cepit bibere, etiam surrexit ludere, facta & meretrix pessima, & altera impudentissima, ita libidine incensa, ut non tantum moechos admitteret, verum etiam vltro sequeretur; & quidem adeo prostituta, ut pauci de vico ipso potuerint effugere libidinem eius.

Pulchra hæc laus est feminae in conspectu filiae suæ eiuscemo-  
di vi-

Clem. Alex.  
lib. 2. Pædag.

Galen lib 5.  
Quod corporis temperiei respondeant, &c.

Clem. Alex.  
lib. 7 Stromat.  
S. Hieronym.  
in c. 1. ad Tit.  
v. 7.

Idem in ep.  
ad Eustoch.

1. Tit. 2. 6.

Plato, lib. 2.  
de legib.

S. Hieronym.  
epist. 83. ad  
Oceanum.

Martial. lib. 4.  
epigram.

V.